

TISSIME, in Ambrosii Cathedram erectus gau-
dio nos implevisti, ac Diæcesim universam utili-
tate. Floret enim in dies monitis, exemplo, ge-
stisque Tuis; unde novimus quæ fuerint arcana
Divinæ Providentiae consilia in Te uno præ ce-
teris ad eam dignitatem eligendo. Quanta vero
fuerit exultatio nostra cùm Te communem pa-
trem habuimus, facile fuerit a similitudine stu-
diorum æstimandum, quæ præstantior est ratio
ad animos invicem conjungendos; memores quip-
pe sumus, cùm in privatis essemus, quot nos erudi-
tionis Tuæ argumentis, quantisque stimulis ad
arduum opus capessendum incitares, quod, fa-
vente Deo, tandem est absolutum. Neque dissim-
mulandum est, quod inter primas Tui muneric
curas ea fuerit nostræ simillima de colligendis il-
lustrandisque veteribus monumentis, ex quibus
potissimum Ambrosiana Ecclesia tantum auctor-
itatis apud ceteras omnes ob doctrinæ purita-
tem, ac mysteriorum gravitatem est adepta, quæ-
que a temporis edacitate servata perpetuum fu-
tura sunt beneficii Tui argumentum. Inscriptum
itaque voluimus extremuri hunc Tomum Colle-
ctionis nostræ, qui duas in partes dividitur, sa-
cro Nominе Tuo, ut sit retributionis nostræ pu-
blicum signum perpetuò duraturum, Tibique so-
lidum documentum, quanti consilia tua de hoc
Opere instruendo fecerimus, ad quod septempli-
cis Indicis emolumentum accedit, cuius uberior,
et commodior pars in volumen alterum aman-
data brevi publicam in lucem est emittenda;

cum-